

EL CARTULARIO DE RODA SEGÚN ABAD Y LASIERRA (continuación)

Manuel IGLESIAS COSTA

Como continuación a nuestro trabajo *El Cartulario de Roda según Abad y Lasiera* (n.º 105 de esta revista), donde comenzamos a publicar los documentos del cartulario rotense según la versión del mencionado erudito, proseguimos ahora la transcripción de los mismos, esperando dar fin a nuestro trabajo próximamente.

*De una casa in Rota*⁵² XLVI

In nomine Domini. Ego Adalgardes cum filiis meis venditor sum tibi Salomoni Episc. per hanc scripturam venditionis meae. Vindo tibi unam casam in civitate Rota ante ecclesiam Scti. Vincenti cum exitu et regressio suo; et cortina sua propter precium solidos III, et est manifestum, et de ipso precio nichil apud te remansit. Et ego supradicta Adalgardis ipsam domum de meo jure in tuo trado dominio et potestate ad faciendum

⁵² Publicado por Yela Utrilla. Subserie B-VI, p. 56.

quodcumque volueris. Quod si ego aut ullus homo aut femina contra istam cartam venditionis venerit ad irrumpendum, non valeat vindicare quod requirit, sed componat in duplum cum sua melioratione. Facta carta vinditionis X^o kal^s februarii anno XIII regnante Filippo rege. S. Adalgard, qui istam cartam vinditionis fecit firmari testes firmare rogavit. S. † Galin Oriol. S. † Sancius presbiter. S. † mir atto. Galindus presbiter qui hanc scripturam vinditionis scripsi.

*De una vinea in Riazuelo*⁵³ XLVII

In nomine Domini. Ego Petrus infirmus facio carta donationis domino deo et Scto. Vincentio et a domno episc. Arnulfo de una vinea in riazuelo qui advenit mihi de propinquitate. Habet de oriente mura, de occidente rigo discurrit. Quantum supradictas afrontationes includunt, cum suas arbores qui ibi sunt, dono domino deo et Scto. Vincentio ut episc^s. faciat mihi bene, quia infirmus sum valde, et est manifestum. Si quis vero homo et femina, vel aliquis de propinquis qui ista vinea inquitaverit, in duplo componat, et postea ista carta firma parmaneat. Facta carta donationis IIII^o nonas octobris. Luna XIII regnante Ranimiro rege. S. † Petrus qui hanc cartam rogavit scribere et testes firmare. S. † Laurentius de ipso vilare. S. † Enneco Roio. Atto Bardina et Ondisculus filios Mirabilis visores fuerunt. Attos Presbiter de Pardinella scripsit per presces de Galin Gisbal sacristano.

*De I vinea a Scto. Martino Parietes Altas*⁵⁴ XLVIII

In nomine Domini. Ego Martin Baron et Pere Baron, vos emtores et seniores nostros domno Bernardo archidiacono et priore Scti. Vincentii et domno Ugoni cellarario, simul cum aliis canonicis senioribus nostris. Placuit nobis ut camiamus vobis nostra vinea qui advenit nobis de beato Vincentio et vobis senioribus. Et est illa vinea in termino Sti. Martini parietes altas ubi dicunt in illum campum Scti. Vincentii. Afrontat de oriente torrente. De occidente vos metipsos. Et nos facimus vobis camium bono animo de ista vinea propter illas vestras, quas vos nobis dedistis, in rivum cecherum. Quod si nos Martin B. et Pere B. aut aliquis homo de propinquis nostris vel de aliis qui contra hanc cartam venerit ad irrumpendum, non hoc valeat vindicare quod requirit, sed in duplo componat et in antea ista carta firma permaneat omni tempore. Facta carta in

⁵³ *Ibidem*. Subserie B-I, p. 50.

⁵⁴ *Ibidem*. Serie 3.^a, XXIX, p. 112.

mense aprile, regnante Antfonsse imperatore in Castella, et episc. Raimundo in Rota et in Barbastro. S. † martin b. et Pere b. qui hanc cartam rogaverunt scribere et testes firmare. S. † Petrus bernardi. S. † Galin. At fidessalvatoris ramon bradila de scto martino. Guillelmus bernardi rogatus scripsit.

*De una vinea a rivum cecherum*⁵⁵ XLVIII

In nomine domini. Ego martin oniscol simul cum filiis meis vos emtores seniores canonicos scti. vincentii, facimus vobis concamium et cartam de una sorte de vinea, quam habuimus in rivum cecherum propter vestram quam vos nobis dedistis vineam sub-tus castellum dicunt cum tornam uno solido grosso, et propter hoc in dei nomine firmam habeatis potestatem. Quod si ego M. undiscol, aut de filiis meis, aut de propinquitate mea qui hanc cartam inquietaverit, in duplo componat. Signum ego martin cum testimoniis meis. Petrus bernardi de puteo, et Galin de Scto. Petro. Fid et salvator Oniscol Adroer. Guillelmus scripsit.

*De alodio de Pertusa*⁵⁶ L

In dei nomine. Ego Guielmus Asnerii prosequenda eterne beatitudinis gloria et pro redemptione peccatorum meorum, sive conjugis meae defunctae, atque omnium parentum meorum, facio carta donationis deo et beatae Marie Virginis, et ad Scto. vincentio de rota, et Raimundo episc. et canonicis ibidem deo servientibus, presentibus et futuris, de omni radice et alodio quod dedit mihi domnus Petrus rex et eius germanus domnus Adefonsus Rex, in villa et castro quod dicitur Pertusa cum terris, et vineis, cum hortis, exitibus et regressibus suis et cum uno homine qui ibi est, et cum omnibus quae ibi visus habere, sicut impetravi a senioribus meis supradictis regibus liberam et ingenuam sic dono et concedo deo et beato vincentio in perpetuum tenendam et possidendam excepto una terra quam deberam ecclesiae Scti. Christofari de avinozar. In tali convenientia ut neque ego neque aliquis de filiis meis vel filiabus, aut aliquis de consanguineis vel propinquis meis aut aliqua persona ecclesiastica vel secularis contra hanc cartam meae karitatis ad disruptendum venire audeat. Quod si facere temptaverit post secundam vel tertiam admonitionem si incorrigibilis exsteterit dei omnipotentis eius que genitricis Mariae et beati Vincentii martiris iram incurrat, et haec carta nostrae donationis

⁵⁵ *Ibidem*. Apéndice I, p. 131.

⁵⁶ *Ibidem*. Serie 2.^a, B-XVII, p. 69.

firma et satabilis permaneat. Facta esta carta ista VIII idus iulii, anno II^o Adefonsi regis, regnante in pampilona et aragone et in ripacurcia et in suprarvi. Raimundo episc. in barbastro. Sig † Guillelmi Asberii qui hanc cartam rogavit scribere et testes firmare. Sig † Bernardi raimundi de castro gales. Sig † Raimundi asnerii fratris eius. Visore et auditores, Enneco sans de alascorr. et Guillem ramon de gudel, Berengarius raimundi canonicus Scti. vincentii per preces Guillelmi Asnerii hanc cartam scripsit et manu propria hoc signum fecit die et anno quo supra.

*De cerced*⁵⁷ LI

In nomine domini iesuchristi. Ego Aldefonsus gratia dei aragonensium et pampilonensium sive ripacorciensium rex, venerabilis sancii regis filius, pro salute eiusdem patris mei et matris meae et mea, reddo et dono et confirmo castrum quod dicitur cerced cum omnibus terminis suis quos habet vel habere debet, sic laudo et concedo deo eius que beatae genitrici mariae et scto. Vincentio martiri et Raimundo episc. barbastrensi sive ripacurcensi eius que successoribus, ut semper habeant libere et ingenue. Quod castrum comparavi de quadam muliere uxore Petri brocardi qui petrus cuius propium alodium erat in vita sua dimiserat pro salute animae suae ad locum beati Vincentii ubi corpus suum sepeliri debebat et nunc sepultum quiescit. Fecit etiam eandem donationem praedicta mulier in die sepulturae prefati viri sui cum suis hominibus qui ibi aderant qui etiam laudaverunt prescriptum donum. Quod si quis homo vel femina destruere voluerit, licentiam non habeat et nisi resipuerit quousque emendet, sacrilegus habeatur. Et si necessitas fuerit mihi, liceat intrare et exire in castro quacumque hora voluero. Facta est carta ista anno incarnationis domini M.C.VIII. mense aprilio, domno Papa paschali presidente romanae ecclesiae. Pampilonensi ecclesiae Petro. Oscensi Stephano. Barbastrinae raimundo. Ego predictus Aldefonsus dei gratia rex hanc cartam laudo et confirmo et signum propria manu pono.

*Guarpitionem De castro vivo*⁵⁸ LII

In dei nomine et eius gratia. Haec est carta guarpitionis et adfirmationis quam facere mandaverunt et propriis manibus et scriptis firmaverunt Ramon isarii et ambo fratres eius, baro et Guielmus, et hoc firmamentum fecerunt regi Sancioni filio ranimiri

⁵⁷ *Ibidem*. Serie 1.^a, XI, p. 29.

⁵⁸ *Ibidem*. Serie 1.^a, VI, p. 23.

regis et filiis eius et omni subsequenti generationi suae. Guarptionem fecerunt de castello qui dicitur vivo et terminis eius quos in illa † die castellum illud habebat, et hoc fecerunt ab integro per fidem sine omni malo sic ut melius potuerunt et sicut fideles homines commandantur seniori suo per fidem facere debent, et similiter fecerunt firmamentum regi predicto et suis de terra illa quae dicitur vallis arravensis ab integro per fidem, preter hoc quod ipsi habent pro alodio in villa albor et in villa vineale homine(m) unum, in villa molsui unam vineam, et fecerunt ipsi fratres prescripti talem firmamentum regi et suis quod de castello quod dicitur roca, non exeat malum regi neque suis, sed sicut tres fratres cum illo castello maneant semper in adiutorium regi et suis contra omnes homines preter artallum comite et petro raimundo, et sicut semper fideles regi per fidem, et hoc placitum sit firmum et stabilitum sicut scriptum est, sicut melius teneri potest per fidem sine aliquo mali. Facta carta donationis et guarptionis in era M^{ca} XXI in mense iunio inter montson et pomar ubi erat rex prefatus cum sua oste iniuncta de damnum de cesaraugusta et de damnum de lerida et suprascripto regi sancio in pampilona, et in aragone, et in suprarbi et in ripacurtia. Rex adefonsus in Castella. Episc. domno Garcia frater regis in iaca, Episc. domno Raimundo dalmacio in rota. Comite Sancio ranimiro, frater regis in ripacurtia. Et sunt testes Gombal ramón de Capella, et remón guillem de capella, et bernat remon de castro. Signum Ramon isarn. Signum baro. Sig † Guillelmus. Ego garsias scriptor, qui hanc cartam scripsi per iusionem Raimundi isarni, et fratrum suorum baro et Guillelmus, et de manu mea hoc signum feci.

*Convenientia de Castro vivo*⁵⁹ LIII

In nomine domini. Haec est carta convenientiae quae est inter episcopum et Raimundum petrum de eril. Raimundus Barbastrensis episc. comandat et donat in feudum predicto Raimundo petri de eril castrum quod dicitur vivum tali modo ut Gauzerandus qui habebat castrum illud per episcopum sit homo de raimundo petro, salva fidelitate episcopi, et teneat ipsum castrum per manum eius, et post mortem gauzerandi qui fuerit in loco suo similiter. Et ipse Gauzerandus donet potestatem de illo castro predicto Raimundo petri quando ipse raimundus voluerit, et successor gauzerandi si fuerit similiter. Et si Raimundus petri habuerit querimoniam de Gauzerando vel successore eius, faciat ei directum et si facere noluerit vel non potuerit, et ille Raimundus voluerit, donet ei potestatem de illo castro. Et si Gauzerandus vel successor eius fecerint querimoniam ad episcopum de R. p. quod iniuste tulit castrum, vaniant ambo coram Episc. et Episc.^o

⁵⁹ *Ibidem*. Subserie A-I, p. 35.

faciat iustitiam, Et si Episc. voluerit potestatem de illo castello, sive iratus, sive pacatus querat R. p. Si ille R. p. fuerit in illa provintia, et prefatus R. donet potestatem de castro illo sine ullo malo ingenio Episc. vel cui ille mandaverit omni tempore vel omni hora. Et si ille R. p. non fuerit in illa provintia, et episc. voluerit potestatem de illo castro, querat similiter ad uxorem R. p. et illa faciat ei dare similiter, et si illa non fuerit, similiter gauzerandus vel successor eius donent potestatem Episc^O. Et quando episc^S. voluerit intrare vel pausare in ipsum castrum, faciat sicut dominus in domum. Et R. p. habeat similiter in feudum de toto quod pertinet ad feudum de castro, unde Episc^S. et gauzerandus et castellanus faciant tres partes, faciant IIII, et R. p. habeat quartam partem de illis. Et dat ei Episc^S. unum excusatum in villam de vivo capmanso de ramon ioseph et alium in super-salientem in villa aneto at asner † excepto X^a quae est Scti. Andreae. Et si fuerit mercatum in valle arravensi, faciant V partes, quarum unam habeat predictus R. p. Haec sicut supra scripta sunt comandat et dat prefatus R. episc^S. barbastrensis predicto R. p. in feudum, ut habeat et teneat ad servitium et fidelitatem dei et Scti. Vincentii martiris rotensis ecclesiae et Scti. Andreae monasterii arravensis et predicti episcopi et sucesorum eius, et canonicorum suorum sucesorumque eorum ut predictus R. p. custodiat et defendat monasterium suprascriptum Scti. Andreae cum omnibus quae habet vel habere debet, et in futuro prestante deo adquisierit et similiter custodiat castrum vivum cum omnibus quae ei pertinent vel pertinere debent, et omnia quae sunt iuris ecclesiae prefatae rotensis in predictis partibus, et ei pertinent vel pertinere debent in valle arravensi vel adiacentiis suis ad fidelitate dei et Scti. Vincentii rotensis et predicti episcopi et canonicorum eius et sucesorum eorum contra omnes alios homines et feminas per fidem sine enganno, et prefatus R. p. teneat haec totum supra scriptum in vita sua, ut si non fecerit culpam quam non possit emendare aut non velit, non perdat, set teneat fideliter sicut suprascriptum est. Facta est carta ista anno incarnationis domini M.C.XVII. mense augusto. Regnante ildefonso Rege, Sancii regis filio, in aragone et pampilona, et ripacurcia, et castella. Sig. † Raimundi episcopi. Signum Raimundi petri.

*De villa enforcato*⁶⁰ LIII

Haec est carta convenientiae quae facta est inter Raimundum barbastrensem episcopum et amatum de balusti. Comendat ei episc^S. medietatem de villa enforcato ut teneat per manum eius et sucesorum suorum si tantum vixerit, et post eum habeant duo filii eius similiter ex quorum parte dicunt sibi advenire querimoniam de illa villa. Et ille ama-

⁶⁰ Ibidem. Subserie A-X, p. 49.

tus est homo predicti episcopi per fidem sine enganno, pro ipsa medietate et cognoscit per manum eius et post mortem eius similiter faciant predicti duo filii eius, illis mortuis, remaneat ipsa medietas de enforcato quiete Scto. Vincentio.

In nomine domini nostri iesuchristi: Haec est carta donationis quam facio ego Sancia domina Sci. martini, filia de berenguer ramon. Libenti animo et spontanea voluntate cum consilio et voluntate filiorum meorum bernardi et amati, et filiarum mearum Jôrdana et Sancia, et Maria, dono deo et Scto. Vincentio, et canonicis ibi deo servantibus dominis et fratribus meis illum meum campum de bianz, qui advenit mihi per patrimonium, ut habeant et possideant libere et ingenue ipsi et succesores eorum per secula cuncta. De oriente quae vadit ad vianz. De occidente vos seniores per capud est via publica. Per fundus arnal de bianz. Dono etiam illud servitium quod habeo in hominibus de alasquarre, id sunt bernardus de cheno, et arnaldus suus frater, et Reitter, et ramon de illa turre et Garsias suus frater, scilicet medio molton, et III fogazas obtimas, et I S. vino et II S. ordio. Et episc^s. et prior et seniores recipiunt me in vita et in morte, ut habeam victum in domo Scti. Vincentii honorifice omnibus diebus vitae meae, sicut unus de senioribus. Quod si ego Sancia, aut aliquis de propinquis meis aud ullus homo vel femina qui hanc cartam donationis inquitare voluerit postestatem non habeat, sed in duplo componat, et ista carta firma permaneat. Sig † ego Sancia domina scti. martini. Sig † num bernardi filii eius. Sig † amati filii eius. Sig † Jordana. Sig † num Sancia. Sig † Maria, qui hanc cartam rogavimus scribere et nostris propriis manibus firmamus et testes firmare rogamus. Sig † m Gaston de molsue. Sig † num Martin guillem de vilar. Sig † m Ramon Garsia de vilar. Fianza de salvetate Ramon Guillem de vilar. Facta carta anno incarnationis domini M.C.LXVIII^o. XI kals. iulii. Luna XXII. Regnante Ildefonso rege filio raimundi berengarii comitis barchinonensis, in aragon, in superarb. in ripacorza, Marchio derthose, et Ilerde. Guillelmus episc^s. in Ilerda et in rota. Arnaldus canonic^s. rogatus scripsit et hoc sig X num fecit cum literis suprapositis in VIII^a linea.

*Testamentum arnulfi Episcopi.*⁶¹ LV

In nomine domini. Ego Arnulfus rotensis episc^s. donator sum domino deo et Scto. Vincentio vel ad eius canonicam. Per hanc scripturam donationis, propria mea bona voluntate et pro remedium animae meae et parentum meorum, dono Scto. Vincentio vel ad eius canonicam duas vineas in territorio rote, ipsa una vinea in locum quae vocitatur Subtus Scto. Vincentio, de parte orientis afrontat in vinea de guielm ramio, de parte occi-

⁶¹ Ibídem. Sección 2.^a, II, p. 37.

dentis in vinea de mir galin, de alia parte in terra de altemir sunger, de quarta vero parte in ipsum pinolum. Et alia vinea ad illa corva, de parte orientis de vinea de enneg afrontat, de parte occidentis in vinea de girberga. Per caput bivas, de alia parte penna quantum inter istas afrontationes includunt et isti termini ambiunt, sic dono deo et Scto. Vincentio vel ad eius canonicam et duas cubas. In tali vero conventu ut ego arnulfus teneam in vita mea. Et est manifestum. Quod si ego donator, aut aliquis de propinquis meis vel magna vel parva persona, qui contra hanc scripturam donationis venerit ad irrumpendum, non hoc valeat vindicare quod requirit, sed componat in duplo quadruplum ipsas vineas, et in antea ista carta donationis firma et stabilis maneat omni tempore. Facta carta donationis VIII idus iunuii. Anno XV^o Regnante Sancio rege filio ranimiri regis. Sig † num Arnulfus qui hanc cartam donationis rogavit scribere, et testes firmare rogavit. Sig † num Petrus archidiaconus. Sig † num Ichilla presbiter. Sig † num Petrus presbiter. Sig † num Galindus presbiter. Visores et auditores bernad laurens, et martin laurens, et berenguer, et pere udalard. Galindus presbiter rogatus scripsit et firmavit. Die et anno quae supra. Arnulfus indignus episc^s. hoc Sig † num fieri decrevi.

*De ecclesia de via campo*⁶² LVI

In nomine domini. Ego cado presbiter, et Raimundus presbiter, cum propinquis et filiis nostris, donatores sumus deo et Scto. Vincentio de rota, propter remedium animarum nostrarum et parentum nostrorum, ut exinde nobis mercedis acrescat ante tribunal domini nostri iesuchristi. Donamus autem illi propium alodium nostrum, qui nobis advenit de parentibus nostris et propinquis. Id est ecclesiam Stae. Mariae in integrum, et medietatem ecclesiae Scti. Michaelis, cum omnibus quae ad ipsas pertinent, quae hodie habent vel habere debent, et quas deinceps adquisierint. Et sunt ipsae ecclesiae in comitatu ripacurcensi in castro viacampi, vel in circuitu eius. Quas de nostro iure tradimus in potestatem Scti. Vincentii, et domni Salomonis episcopi, vel sucesorum eius in perpetuum possidendas. Ea videlicet ratione, ut episc^s. defendat et ordinet eas nobiscum, et cum posteris nostris ad dei servitium, et teneamus nos et posteri nostri post nos ipsas ecclesias vel quae dimisserimus qui fuerint clerici, et ipsas regere potuerint, et de omnibus quae pertinent ad ipsas ecclesias, vel quae donata vel oblata fuerint eis, de arca et torculari, et de caeteris fidelium oblationibus decimam totam ab integro persolvamus nos et posteri nostri, Scto. Vincentio et episcopo eius per singulos annos. Et est manifestum. Quod si nos donatores, aut aliqua parva vel magna persona de posteritate vel de propin-

⁶² *Ibidem*. Serie 2.^a, B-II, p. 51.

quitate nostra aut ullus homo vel femina contra hanc scripturam donationis nostrae venerit ad irrumpendum, non hoc valeat vindicare quod requirit, sed componat in duplo cum sua inmelioratione, et in antea ista carta donationis firma et stabilis permaneat omni tempore. Facta carta donationis III nonas mai, anno XII regnante philippo rege. Sig † num Cado presbiter. Sig † num Raimundus presbiter. Qui hanc scripturam donationis fecimus firmavimus, et testes firmare rogavimus. Sig † num belido. Sig † num Raimundus filius eius. Petrus levita qui hanc cartam donationis scripsi et firmavi sub die et anno quo supra.

*Carta de domibus quos dedit adolina Scto. Vincentio in castellion.*⁶³ LVII

In nomine domini. Ego adolina femina, propter remedium animae meae vel parentum meorum dono domino deo et Scto. Vincentio de rota et tibi Salomoni episc^o et successoribus tuis, medietatem domorum mearum quae mihi advenerunt per vocem parentum meorum vel per comparisonem sive commutationem. Dono autem partem meam quae ad me pertinet hoc est medietatem post divisionem quam feci cum filia mea, quae sola mihi remansit de filiis meis quos habui. Et sunt ipse quatuor domus cum cortina vel arca earum. Incomitatu ripacorza in super aras in villa castilione. Et afrontant ipse domus cum arca et solo vel superposuo de parte orientis in via, et de meridie in via, et de septentrione in Ecclesia Scti. Sebastiani vel porticum eius, et de occidente in casa de Guimar presbiter vel suos eredes. De istis domibus quae infra istas quatuor affrontationes includuntur, non ullius cogentis imperio, vel suadentis ingenio, sed mea propria bona voluntate, facio cartam de ipsa medietate mea Scto. Vincentio et Salomoni episc^o. Ea scilicet ratione ut ibi sit domus sive palatium episcopi vel successorum eius. Et ego iam dicta adolina ibi maneam et teneam et possideam in vita mea, ad fidelitatem episcopi vel successorum eius. Et semper habeam beneficium vel patrociniū de Episc^o Scti. Vincentii in vita mea et filii mei post me similiter teneant ad fidelitatem Episcopi. Hanc ergo medietatem domorum sicut superius resonat de meo iure in potestatem Scti. Vincentii vel ipsius Episcopi trado in perpetuum habendam vel possidendam. Et est manifestum, quod si ego odolina vel aliquis homo vel femina contra istam cartam donationis venerit ad irrumpendum non hoc valeat vindicare quae requirit, sed componat in duplo cum sua melioratione. Et in antea ista carta donationis firma et stabilis permaneat omni tempore. Facta carta donationis III nonas iulii, anno XI regnante philippo rege, et anno VIII regnante Santio rege filio ranimiri. Sig † num odolina femina, qui istam cartam donationis feci, firmavi, et testes firma-

⁶³ Ibídem. Serie 2.^a, B-III, p. 52.

re rogavi. Sig † num Oriol galin. Sig † num arnal guarner. Sig † num Atonis presbiteri de Orema. Signum miro. Signum Maior femina filia de Odolina. Visores et auditores fuerunt Remon mir, Guielm pere. Petrus henric. Mir duran. Petrus archidiaconus. Hugo presbiter scriptor et subscriptor die et anno quo supra.

*De una casa in rota*⁶⁴ LVIII

In nomine domini, ego adalgards cum filiis meis venditor sum tibi Salomoni Episc^o. Per hanc scripturam venditionis meae vindo tibi unam casam in civitate rota ante ecclesiam Scti. Vincentii cum exitu et regressio et cortina sua propter precium solidos III. Et est manifestum. Et de ipso precio nihil apud te non remansit. Et ego supradicta adalgards ipsam domum de meo iure in tuo trado dominio et potestate, ad faciendum quodcumque volueris. Quod si ego aut ullus homo aut femina contra istam cartam venditionis venerit ad inrumpendum non valeat vindicare quod requirit sed componat in duplum cum sua melioratione. Facta carta venditionis X^o k^s februarii. Anno terciodecimo regnante filippo rege. Sig † num adalgard quae istam cartam vinditionis feci, firmavi, et testes firmare rogavi. Sig † galin oriol. Sig † num Sancius presbiter. Sig † Mir at. Galindus presbiter qui hanc scripturam venditionis scripsi et sub scripsi. Die et anno quae supra.

*De olivis de orcall*⁶⁵ LVIII

Ut ita valeat donatio vel emptio, donatio vero qui per voluntatem facta fuerit talem quam emptio plenam habeat roborem, quia res donata qui in presentia tradita est nullo modo repetatur ad donatorem. Igitur in Christi nomine. Ego Reimundus et mea coniux ermetruit et filio meo reimundo facimus carta donationis ad te Salomon gratia dei episc^o de duos olivarios, ipsa quarta part infra terminos de castro orchallo in ipso salent qui nobis advenit per parentorum, sive omnes per voces, et sunt in ipso orto de geruz. Ipsam quartam partem de ipsos olivarios, donamus tibi propter solutionem animarum et est manifestum ut deo propitius habeatis potestatem, quod si venerit nullus homo vel femina qui ista carta inquietaverit in vinculo componat auri libra I et post hoc ista carta firma permaneat, modo vel omni tempore. Facta ista carta donationis, V, k^s augusti anno XI^o regnante rege philippo. Sig † num reimundi et coniux eius ermetruit et filio suo rei-

⁶⁴ *Ibíd.* Serie 2.^a, B-VI, p. 56.

⁶⁵ *Ibíd.* Serie 2.^a, B-IV, p. 54.

mundo, qui ista carta rogaverunt scribere et testes firmare. Sig † num baro sunger. Sig † num Sengfred baron. Sig † nun Gillem Enneg. Sig † nun Arnal Gitard. hoc sunt testes. Ego maria similitaer dono unum olivarium totum pro anima fratris mei. Ego isanardus similiter alium pro anima patris mei Ranill et sorores eius et Guitardus frater, similiter donant unum pro anima patris et matris eorum. Mir eiz olivarios duos. Borrel guansami olivario uno, in ipso pedio. Arnandus sacer Rogatus hoc scripsit et die et anno quae supra.

*De olivis de orcall*⁶⁶ LX

In nomine domini. Ego Miro Vitalis et mea coniux magensendis cum filiis meis Guillen et bernardo. Similiter donamus tibi Salomoni episc.^o unum olivarium qui nobis advenit per comparationem propter absolutionem et remedium animarum Patris et matris meae et filii mei Guidonis. Et est ipsum olivarium in castro orchallo. Et de nostro iure in tuo dominio tradimus ad possidendum et abendum et faciendum quodcumque volueritis. Et est manifestum. Factum est hoc die et anno quo supra. Sig † miro et magensem et filiis eius Guillem et bernardo qui istam cartam fecimus et firmavimus, et testes firmare rogamus. Sig † num Guitard guillem. Sig † Arnal guitard. Sig † num Guielm ennego. Hec sunt testes. Arnallus sanc.

*Item de Olivis de orcall*⁶⁷ LXI

In Dei Nomine domini nostri iesu Christi. Hic est brevis rememorationis de arboribus olivarum quas Salomon Episc.^o adquisivit in orchallo. In primis Maria uxor de reimundo mironi et Petrus filius eius donant unam arborem olivam in orto de sunner Rodrigo subtus ipso ortal de marches et habet ipsa oliva branchas duas. Mir eiz donavit duas olivas in ipso orto de duran tudisculo et fratribus eius. Et est ipsum ortum iuxta ortum de duran enniscolo. Et una ipsarum arborum habet branchas tres. Miro vitalis donavit unam olivam in orto de adrover, qui est subtus terra de oriol dach et habet ipsa arbor olive brancas quatuor. Remon radulph donavit in duas arbores quartam parte in ortal de geruz et habent ipsas arbores una brancha quatuor. Remon vitalis et sorores eius donaverunt unam olivam in ortali suo, qui est super ipsam terram de remon bernard iuxta stratum publicam. Guitard varon et sorores eius donaverunt unam olivam in ortali suo ad

⁶⁶ *Ibíd.* Serie 2.^a, B-V, p. 55.

⁶⁷ *Ibíd.* Subserie A-I, p. 35.

illas erolas et habet brancas duas. Borrel gansam donavit unam olivam ad podium falconarium in ipsa ceger iuxta ortum de pere altemir. Isnard olivam unam Petrus altemir in podio olivarium I in cegea subteriore prope oliver de isarne. Ego beliardis femina cum filiis meis donamus domino deo et Scto. Vincentio et tibi Salomoni episc.^o I arborem olivam in orto nostro ad plano de rivo propter remedium enipnae viri mei galindoni. Et ego Ermengards simul cum filiis meis donamus domino deo et Scto. Vincentio ad suam dedicationem unam arborem olivam in orto nostro subtus era ad ipsas lenas.

*Item de olivis de orcall*⁶⁸ LXII

Ad istas arbores Salomonis episcopi quas adquisivit ad honorem Scti. Vincentii de rota quicumque addiderit et augmentaverit, adiciat dominus benedictionem super eos et super filios eorum usque in seculum. Si vero quod absit aliquis de suprascriptis donationibus, aut de filiis vel posteritate sive propinquitate eorum contra hanc donationem venerit ad inrumpendum, vel minuendum, nullo modo valeat vindicare quod requirit, sed componat in quadruplo cum sua immelioratione, et in antea scriptura donationis firma et stabilis permaneat omni tempore. Facta scriptura rememorationis vel donationis kal.^s septembris. Secunda feria anno XV regnante philippo rege. Testes. Petrus enneg et arnal orger. Pere servidei Isarn todisclo presbiteri de orchallo et alli boni homines de ipso castello et de puio qui presentes fuerunt et audierunt et est firmum et manifestum. Salomon episcop^s. scriptor et subs criptor.

*Item de olivis de orcall*⁶⁹ LXIII

In Christi nomine. Ego tedbal senior de orchal dono domino deo et Scto. Vincentio unam olivam in orchal et habet quatuor brancas in ipso orto subtus illo suo columbario. Et ego bernat mir unam olivam in ipso orto de guillem duran, et habet quinque branchas. Ermengarda simul cum filiis suis guielm et bernard unam olivam in ipso orto subtus illa era, habet unam brancam. Ramon medietate de una oliva et habet duas brancas et est in ipso orto, subtus illas suas casas.

⁶⁸ *Ibidem*. Subserie A-I, p. 37.

⁶⁹ *Ibidem*. Apéndice I, III, p. 134.

*Concordia de alodio Raimundi guillelmi et uxori sue Sicardis*⁷⁰ LXIII

Notum sit omnibus hominibus tam presentibus quam futuris quod Raimundus Willelmi de capella et uxor sua nomine Sicardis pro redemptione animarum suarum dederunt se deo et Scto. Vincentio de rota clericis que ibidem deo servientibus cum omnibus rebus iure hereditario ad se pertinentibus. Hoc est illud quod habebat in montesono et in terminis eius, et in almunia de banasona et vinea de sadarui. Defuncto autem predicto R. Willelmi hanc eandem donationem supra nominatam coniux eius laudando confirmavit in audientia domini Poncii rotensis episcopi et bernardi alaonis abbatis. Post talem sui rerum que suarum donationem ipsa matrona mutando animum rivipollensi adiit cenobium ibi que santimonials cupiens effici, se cum suis rebus omnibus tradidit Sctae Mariae atque domno B. eiusdem loci abbati. Hac de causa cum a clericis Scti. Vincentii qui primam donationem acceperunt, fieret querimonia prefatus venerabilis abbas rivipollensis nolens quicquam iniuste possidere, venit ad illustrissimum Petrum Sancii regem aragonensem apud oscam civitatem ut auditio ipsius huiusmodi causa inter ipsum et clericos Scti. Vincentii finiretur. Cumque in presentia regis iudices ex utraque parte electi post diutinas declamationes adiudicassent ut si duo ex clericis Scti. Vincentii sacramento comprobarent suas rationes esse veras, omnino eis totus honor prefatus iam dicti Raimundi Willelmi et uxoris eius restituerentur. Predicto venerabili abbate rivipollensi sacramentum clericorum renuente suscipere, petitione regis et aliorum religiosorum virorum, talis concordia inter eos facta est ut de omni honore quem R. Willelmi et uxor eius habuerunt sive in montesono et terminis eius, sive in ipsis duabus almuniiis quarum una vocatur de medalafra, altera de ambengala, tam in domibus quam in terris, vineis, et ortis, haberet predictus abbas IIII partem et sucesoribus eius in perpetuum cum omni medieta- te de almunia de banasona cum suis alodiis que sunt ultra flumen eseram. Cetera vero omnia Scto. Vincentio et domno Poncio rotensi episc^o suis que clericis in perpetuum conserbentur cum una vinea quae est in sadarrui in loco qui dicitur villa tota ab integro. Facta carta ista regnante predicto rege petro, anno ab incarnatione domini millesimo XCVIII. Era M.C.XXXVII concurr. V. episc^o VII pridie kal^s novembris, indictione VII. Bernardus abbas ⊕ Signum † Enneco garces. Signum † Berengarii Sancii. Signum † Berengarii prior. Signum † Arnalli Willelmi. Ego Pontius dei gratia episc^s rotensis sive barbastrensis hanc definitionis cartam confirmo.

⁷⁰ *Ibidem*. Serie 2.^a, B, p. 68.

*Testamentum R. Willelmi et uxoris Sicarde*⁷¹ LXV

In Dei eterni salvatoris nomine. Hec est carta verbi testamenti quod mandaverunt Ramon willelmi et uxor sua Sichardis memoria pleni. In hanc cartam discernimus de avere nostro. In primis relinquimus corpora nostra ad Scti. Vincentii unusquisque cum sua tertia parte de suo habere. Alia III^a parte ad ecclesias. Alia III^a parte ad presbiteros et pauperes. Illum panem et illum vinum quod habemus in aragone relinquimus illa III^a parte ad sctum Petrum de iacca. Et illas alias duas partes ad ecclesias et presbiteros et pauperes. Et de isto avere in primis fiant ipsos debitos soltos. Et illum nostrum alode quod habemus in montesono et in suis terminis remaneat ad canonicam Scti. Vincentii. Et ego Sichardis de meo alode de castro quae dedit mihi senior meus per dote, remaneat ad illum in vita sua, et post obitum suum remaneat ad Scti. Romani de castro, de esera usque in castro ab integrum cum casas et vineas et illa almunia de banasona, cum suo alode remaneat ad Scti. Vincentii de rota. Et illo castro de benabent ego Ramon Willelmi relinquo ad gombaldum nepotem meum excepto uno homine qui vocatur atto ramio ad illa arbergeria, cum quale censum debet facere, et de illo meo alode de sandarrui, remaneat una vinea quae fuit de Scto. Michaeli ad Sctum. Michaellem. Et alia mea vinea ubi dicitur villa, relinquo ad Scti. Vincentii de rota. Et illas casas quas habeo in satarrui, remaneant ad Gombal cum ipsos ortos et cum III^a parte de illa vinea de Scti. Romani et medio molino quod habeo ad illa lena, et illum meum alode de villacarli remaneat ad Scta. Maria cum ipsos homines. Et Scta. Maria de Villacarli remaneat ad bernard miro quomodo domnus Guillelm^s laxavit ad filium suum Raimundum. Et vila luponis remaneat ad Scta. maria de ovarra cum terminis suis, qualem partem ibi habeo. Et illud alode quod habeo in aragone remaneat ad berenger gombal, et per unumquemque annum accendat unam lampadem in Scto. iohane de busa in quadragesima et in adventu. Et illo alode de toleto cum ipsas casas remaneat ad mir ramon, extra una vinea de illas meliores quae remaneat ad Scto. Victoriano. Et illum alode de besente cum illas casas remaneat ad geraldo nepote meo. Et illo alode de cellas et illos homines remaneant ad bernardo miro, et illa insula de capella cum ipsos molinos qui ibidem sunt, qualem partem ibi habeo remaneat ad gombal. Et hoc totum suprascriptum de meos alodes, teneat mulier mea in vita sua cum viro et sine viro. Et si virum acceperit dimittat benabent ad gomballo. Et tenat illos alios alodes in vita sua. Et post obitum suum remaneant isti alodes quomodo supra scripti sunt. Et sint elemosinarii mei Gozeran de capella, et bernard ramon de castro, et bernard miro, et atto et abbas de villacarle. Obsecro vos iam dicti elemosinarii mei per iudicium dei tremendum, ut mea omnia iam suprascripta fideliter inquiratis et ita pro

⁷¹ *Ibidem*. Apéndice II, p. 160.

animas nostras distribuatis. Et mando ad Gomballo nepote meum quae donet ad Stum. Vincentium per unumquemque annum I porco optimo et II moltons et L panes, et IIII ff^s vini et isto concedo ut gombal donet et tota sua posterita per secula cuncta.

*De hereditate de alascorre*⁷² LXVI

Sub divina clementia et eius gratia. Ego Sancii ranimiriz dei gratia aragonensium rex facio hanc cartam vobis domno mir arnal propter mea bona voluntate et uno caballo quod mihi dedistis. Ego autem dono vobis in alasquarre una hereditate que fuit de oria et de bonafilia sua germana, ut ingenua et francha vos habeatis ad vestro propio alode vos et filii vestri et cuncta generatio vestra per secula cuncta in mea fidelitate et qui fuerint de illos meos et non faciatis alia causa de isto suprascripto alode nisi quomodo francus homo debet facere, extra quod detis illam X^m ad illo castello et illa decima quod seveniatur illos decimeros per illa ubi est. S † num Sancio Rege. Facta carta in era M.C.XIII. VI idus octobris in monasterio Scti Victoriani. In anno quando rege domno Sancio de pampilona fuit mortuus. Regnante domino in celo, et sub eius gratia ego Sancius ranimiri in aragone, et superarbi et ripacurtia et in pampilona anno primo. Episc^o domno Garcia in Aragone. Infante Sancio ranimiri in benavarre Sancio galin in boltania. S. lop. garcez in uno castello, Ramon Songer in montenesma. Guillem isarn in alascorre. Ego Garsia de petra rubia per iussionem domini mei istam cartam scripsi.

*De homines de alascorre*⁷³ LXVII

In nomine domini. Ego eliardis et viro meo Poncio rogeri vobis emtores nostros Miro rogerio prior et Guido et Petro arnallo cellarario cum ceteris canonicis Scti Vincentii rote bona voluntate vindimus vobis nostros homines cum alodio quod habemus in alasquarre cum toto illo censo quod nobis fecerunt vel facere debent, petrus miro per unoquoque anno dabit vobis per censum XII focazas optimas et uno porco annale et IIII ff. vini et semodio ordei, et vos retinere eum sicut nos fecimus usque hodie. Et miro guillem dabit vobis XII focazas optimas et I porco annale et IIII ff. vini et semodio ordei et novenam de omnia que havuerit. Et Guillem avo dabit vobis novenam et servitium IIII focazas et unas iuntas de molton et I emina vini, et dos ff. ordei. Postea vero serviant vobis sicut boni seniores. Et vos dedistis nobis precio placibile, C.L.X. solidos denario-

⁷² Ibídem. Serie I.^a, II, p. 18.

⁷³ Ibídem. Apéndice II, p. 161.

rum. Si quis vero ista vinditio inquietaverit in quadruplum vobis restituat. Facta carta vinditionis VII idus decembr^s. Anno ab incarnatione domini M.C.VI. Regnante Adefonso rege. Signum Eliardis et viro meo iam dicto. Signum Guillem asner. Signum Martinus Laurencii. Signum Gualterio de monniesma. Signum Miro bernardi de rota. Testes, Martinus canonicus Scti. Vincentii rogatus scripsit.

*Carta willelmi b. De alodio de alasquarr*⁷⁴ LXVIII

In Christi nomine. Ego Guillelmus bernardi, expunxit me deus et trina maietas ut faciam cartam de ipso alode quod habeo in alasquarre, domino deo et Scto. Vincentio et advenit mihi per comparatione de Grasen et donavi per isto alode CCCC^{tos}. mancosos et est ipsum alode in castro alascharre casas et casales cum exio et regressio, vineas, ortos, canamares, in monte et in villa, in pascuis, in pratis. Et de isto alode supra nominato dedi ad Guillelmum ferrerum in tali convenientia, ut post obitum meum remaneat ad servitium Scti. Vincentii cum tali censo quale est scriptum in sua carta et isto alode supra scripto habeat Sctus. Vincentius post obitum meum ad propium alodem, et est manifestum. Quod si ego Guillelmus bernardi, aut aliquis meus, vel aliquis homo vel femina, qui istam cartam donationis, inquitaverit, componat vobis D mancosos et in antea ista carta firma permaneat omni tempore, et non sit disrupta. Facta carta in mense iunio. Regnante Petro Rege in aragone et in pampilona, et in superarbi, et in ripacurcia, et in monson. Sig † Guillelmus b. qui hanc cartam donationis pro anima mea, et remedium animarum parentum meorum rogavi scribere et testes firmare. Sig † Berengarius bernard de lastarre. Sig † Martin ramon de gistavi. Sig † Galin ramon de gistavi. Sig † ademar sanla de bivo. Guilmus bernardus scripsit.

*Concordia de illo alodio de alascorre*⁷⁵ LXVIII

In nomine domini. Ego enneco sanz, et ego garsendis uxor eius et filii nostri grasia, et santius, et petrus vobis emtoribus nostris bernardus archidiaconus et priore et forto priore, et garsia celarius et Guillelm^s. sacrista, et garsia cameraarius et bertrandus capellan^s. et alii canonici Scti. Vincentii, donamus vobis una terra infra terminos alascorz, in loco ubi dicitur ad illa trocita de oro vete. de oriente tenet guillem pere, de occidente terra de Scta. Maria, et de alia parte via qui pergit ad avellana et insuper donamus

⁷⁴ *Ibíd.* Apéndice I, IV, p. 135.

⁷⁵ *Ibíd.* Apéndice II, p. 162. Sólo leyó alguna frase sin sentido.

una vinea in loco ubi dicitur ad ipsa turrizela, de oriente vinea de Scta. Maria, et de occidente tenet arnal guillem. Donamus vobis ipsa terra et ipsa vinea circumdatas et terminatas ab integrum propter emenda de uno servitio quod dare debemus pro ipso alodio de guillem bernard, et ipso servitio erat XX^{ti}. fogazas de pane formento optimas et IIII ff. vino, et I porco de uno anno, et hoc per singulos annos. Et vos dimisistis nobis hoc totum ad nos et posterita nostra, pro vobis et sucesoribus vestris ut iam amplius non sit in clamo istum incensum nec ad nos canonicos ipsa terra et ipsa vinea, et vos nec de posterita vestra. Et est manifestum quod si nos donatores de ipsa terra et de ipsa vinea, aut aliquis homo vel femina ista carta inquitare vel disrumpere voluerit extranee sit ad regnum dei, ita fiat ex parte canonicorum. Facta ista carta in mense novembrio anno regnante rege adefonso de navarra usque in ipsa petenera. Sig † num donatores suprascripti, sive canonici qui hanc cartam rogaverunt scribere et testes firmare. Sig † num Guillem pere. Sig † Guillem baron. Sig † num bernard martin. Ermengaudus subdiaconus scripsit.

*De oriol baron et bernard baron*⁷⁶ LXX

In dei nomine. Ego Raimundus dalmacii gratia dei Rotensis Episc^s. facio cartam ingenuitatis fidelibus meis oriol baron, et bernard baron de illo alodio quod nominatur de illa perella, quod alodium fuit antiquitus terminus de rota, et alodium de habitatoribus de rota, et sancius clericus rotensis dedit illud in perpetuum Scto. Vincentio, Et ego facio ingenuitatem de illo alodio pro scriptis hominibus oriol et bernard tali convenientia ut semper habeant ingenuum ipsi et posteritas eorum. Et ipsi et posteritas eorum semper serviant istam hereditatem et ingenuitatem Scto. Vincentio et clericis suis. Similiter facio illis cartam de illa insula episcopali de illo rio de illa cornia tali convenientia ut illi faciant ibi molendinos optimos, per medietatem cum Scto. Vincentio et laborent et habeant illam insulam per medietatem. Et de illa insula et de alodio alio prescripto donent decimas et primitias deo et Scto. Vincentio, et sint semper fideles nostri post regem et filium eius. Facta carta conventialis et ingenuitatis, XV kal^s. decembris presentes testes miro durandi. Raimundus miro. Poncius iohannis. Enneco oriol. Sig † rum Raimundi Episcopi. Sig † mironis rogerii. Sig † num Petri petri prioris. Bernardus martin notarius Episcopi rogatus scripsit, et hoc signum fecit. Et debent facere censum ramon oriol, et pere bernard et fratres sui, et successores eorum VI ff. farina formenta optima, et duos arietes optimos et IIII ff. de vino optimo, et X ff. ordei et VI avena per singulos annos et per secula cuncta. Ego Poncius barbastrensis Episc^s. suprascriptum donum confirmo. Et

⁷⁶ *Ibíd.* Subserie A-VI, p. 43.

ego Raimundus barbastrensis Episc^s. pefatam scripturam laudo et hoc Ego Gauserandus abbas Sctae Mariae alaonis hac cartam laudo X Bernardo archidiachono.

*De molendinis quos comodaverunt canonicis Garsia et Guillem at*⁷⁷ LXXI

Duodecimo kal^s. iunii. Garcia at, Guielm at, evacuaverunt ipsos molendinos cum insulis et arboribus, et omnia quae ibi sunt in potestate Scti. Vincentii et canonicis eius nomine miro rogerii priori et Guido priori, Petro arnal, Bernardo laurencii, Berengarii raimundi, Guillem ramii, Guillem arnal, Arnal pere, Berengarius erdao, et stephano fratri Episc^o feria V in octabas pentecostes, intus in ecclesia Scti. Vincentii. Auditores et visores, Guillem ramon, Ramon mir, Martin laurencii, Martin oniscol, Guillem at de corbera, Martin iohan de poio rixoso. Postea isti quaesierunt misericordiam canonicis Sti. Vincentii. Et nos canonici supradicti precibus bonorum hominum qui ibi fuerunt fecimus eis misericordiam, et talem misericordiam, ut in isto anno faciant ibi tertium molendinum de suo abere, et nos facimus aiutorium unum solidum in ferro et nihil aliud mittimus ibi et interim istum molendinum faciunt, dent nobis de alios ipsa medietate, et de arboribus, et de ortis, et de cannamares similiter fideliter dent nobis medietatem. Et postquam factus fuerit ipse molendinus, de ipso et de aliis duobus sine missione quod nos non mittamus, reddent nobis fideliter illa medietate. Et de ipsas insulas et de ortis et de arboribus et de omnia quae ibi habuerint, et in antea ibi edificare vel plantare potuerint, similiter reddant nobis medietatem. Et haec convenientia fideliter adimplenda teneant illi et illorum generatio et si hoc desuper scriptum fideliter fuerit factum et impletum, habeant potestatem tenendi. Guielmus scripsit per preces mironi prioris et aliorum canonicorum Scti. Vincentii.

*De almunia de saravalla*⁷⁸ LXXII

In Christi nomine Domini nostri iesuchristi. Ego Petrus sancii dei gratia Rex facio hanc cartam donationis et placuit mihi libenti animo et spontanea voluntate, et dono domino deo et Scto. Vincentio de rota illa almunia quae dicitur saravalla, quae fuit de meo patre cui sit requies, cum totos suos terminos, sicut erat inde tenente ista predicta almunia die quando ego eam donavi ad hunc locum superscriptum. Similiter dono ibi in illa orta de monteson uno orto. Hoc autem superius scriptum laudo et corroboro illud pro

⁷⁷ Ibídem. Apéndice II, p. 163.

⁷⁸ Ibídem. Serie I.^a-X, p. 28.

anima patris mei ut firmiter permaneat in servitio dei et Scto. Vincentio de rota, et omnibus ibi deo servientibus per saecula cuncta. Facta carta ista era M.C.XXXVIII, in mense aprile me dei gratia regnante in aragone, vel pampilona, et in superarbi, vel ripacurcia. Episc^s domnus Stephanus in sedis osca. Domnus Episc^s. Petrus in irunia. Episc^s. Pontius in barbastro. Comes domnus Sancius in Erro. S. Exemen garcez in monteson. S. Fortunio dat in calasanz. S. Remon galindo et illo abbate domno galindo in monmacastro. Ego García sub iussione domni mei regis hanc cartam scripsi et hoc signum feci.

*Carta de Conchel*⁷⁹ LXXIII

Sub Christi nomine et gratia. Haec est carta donationis quam ego Petrus superno nutu aragonensium atque pampilonensium rex facio. Propter remedium animae meae sive parentum meorum dono deo et ecclesiae Stae Mariae de montson villam atque castrum que vocatur conchel, scilicet quicquid ibi habebam in die consecrationis praedictae ecclesiae cum omnibus videlicet terminis suis cultis et incultis cum omni iure regio omnibus que omnino rebus, excepto quod dederam galephoni sarraceno cum carta. Volo quoque et mando ut garcia xemenonis de grostano et berenguer gombal quicquid ibi habebant per me die istius donationis similiter possideant ipsi et filii sui per secula cuncta, per manum Poncii rotensis episcopi ac successorum suorum et non illud perdant nisi iusta causa exigente. Ego Petrus gloriosi regis Sancii filius omnia suprascripta laudo, confirmo, corroboreo et hoc signum manu imprimo. Facta carta huius donationis, era M.C.XXXVI. Anno incarnationis dominicae M.XC.VIII, die VI. nonas mai. Sancius Larrossensis canonicus oscensis scripsit.

*Carta de Sto. Michaeli de fontetova*⁸⁰ LXXIII

In nomine domini. Ego arnal baron et ego Bernardus galin et dominicus facimus cartam guarpitionis deo et sanctis suis, et Raimundo barbastrensi Episc^o, eiusque successoribus de ecclesia Sti. Michaelis quae est in collo de fontetova. Laxamus et dimittimus nos praedicti homines illam ecclesiam Sti Michaelis cum omnibus sibi pertinentibus cum decimis et primitiis et oblationibus et defunctionibus et cum omni hereditate seu alodio quos habet hodie praedicta ecclesia in manu praefati episcopi sine ulla retinentia et sino

⁷⁹ *Ibidem*. Apéndice II, p. 163 (muy fragmentaria).

⁸⁰ *Ibidem*. Serie 2.^ª-VII, p. 44.

ullo enganno ita ut nos neque ullus homo aut femina de nostra posteritate aut per nostram vocem audeat amplius istam ecclesiam, aut aliquid de supradictis sibi pertinentiis inquietare aut quaerimoniam pro eis facere, set semper sit in potestate dei et supradicti Episcopi, omnium que succesorum eius. Et si nos aut nostra posteritas voluerimus tenere ipsum alodium Sti. Michaelis, non possimus nisi per manum episcoporum, et simus eorum fideles et in unoquoque anno faciemus Episc^o. tale servitium medium modii pulcre farine tritici et X ff. ordei, et X ff. avenae et unum porcum bonum unius anni cum uno bono ariete, et si non potuerimus habere porcum, dabimus bonos duos arietes, et unum metrum optimi vini. Hanc supradictam fidelitatem cum isto servitio propter hoc facimus, ut cognoscamus Episcopos seniores nostros pro predicto alodio, et Episcopi defendant praedictam ecclesiam cum suis pertinentiis, et nos cum ipso alodio, id est, si placitum habuerimus pro ista hereditate Sti. Michaelis defendat nos Episc^s. sicut suam causam. Et si fuerit clericus de nostra generatione, qui bonus sit ad servitium dei, stet cum abbate Stae. Ceciliae sicut unus de bonis clericis suis, et abbas Stae. Ceciliae tenebit ecclesiam Sti. Michaelis per manum Episcopi cum decimis et primitiis, et oblationibus et defunctionibus. Facta est carta ista presente prefato R. Episc^o. et bernardo attonis archidiacono, et abbate Stae. Ceciliae. Guillelmo Galin, et suprascriptis hominibus hac conventionem, ut ex parte episcopi et succesorum eius firma maneat ad praedictos homines et ad suam posteritatem. Et ego R. iam dictus episc^s hanc praefatam Sti Michaelis hereditatem vobis supradictis hominibus qui eam in manu mea dimissistis, comendo illam ut vos et vestra posteritas teneatis eam per manum meam, succesorumque meorum et faciatis nobis supradictum et fidelitatem. Quod si hoc facere vos aut posteri vestri nolueritis, aut non potueritis ipsa hereditas Sti. Michaelis revertatur in potestate mea vel succesorum meorum sine ulla retinentia vel impedimento vestrae generationis. Facta esta carta ista anno incarnationis domini. M.C.XIII mense septembrio, regnante ildefonso rege Sancii filio in aragone, et in pampilona, et in superarbi, et in ripacurcia. S † Raimundi Episcopi. S † Bernardi archidiaconi. S † Miro arnali de cornutella S † Gillelmi galin abbate fontetovae. S † Arnal baron. S † Dominicus. S † bernad galin. S † Mir adroer. Haec est misericordiam quam facio ego R. barbastrensis episc^s ad hominibus de Sto. Michaele prenomi-natos arnal baron et aliis suis confratribus propter paupertatem quam habetis hodie quando istam cartam fecimus de illo servitio quod facere debetis Sto. Vincentio et nobis sicut scriptum est in alia carta, V ff. farina, et V ff. vini, et VI ff. ordei, et VI s. avenae, et I multon optimo, aut porcum qui valeat. Hoc facite quousque habeatis tale posse ut faciatis illum servitium sicut scriptum est in supradicta carta, vos et succesores vestri nobis et succesoribus nostris.

*Carta evacuationis de homine uno in Esdolomada*⁸¹ LXXV

In nomine Domini. Haec est carta evacuationis quam facio Orracha uxor rodlandi ermengaudi de uno homine quem ille mihi dimisit. Et est ipse homo nomine bertrand in villa esdolomada que modo dicitur villanova. Et ipse senior meus laxavit illum ad Stum. Vincentium de rota pro anima sua. Et ego habebam in illum tenenzam in diebus meis, et ego pro amore dei et Sti. vincentii, et pro anima eius dimitto illum liberum ad Stum. Vincentium cum omnes suas pertinenzas, et pro beneficio quod mihi fecerunt illi seu canonici Sti. Vincentii, id est XV solidos denariorum, ut nec ego aut ullus homo vel femina non habeat licenciam rancurare vel inquietare pro me in mea voce illum hominem vel suam posteritatem, nec ullum censum quod ipse redere debet. Et mitto pro hoc fideiusorem domnum amelium ramon ut sicut hic scriptum est, ita permaneat semper et est manifestum. Quod si ego Orracha aut ullus homo vel femina qui istam cartam inquietare presumpserit non hoc facere valeat, sed in duplo componat. Facta carta ista in mense octobrio. Regnante rege adefonso in aragone, et in pampilona, et in cesaraugusta. S † Orracha qui istam cartam rogavit scribere et testes firmare. S † Guillem arnal, de poio verde. S † bernad amelii S † bernad bernad de molsui. Garsias levita rogatus scripsit.

*De uno capmanso in esdolomada*⁸² LXXVI

Haec est carta evaquationis et guarpitionis quam mandavi facere ego bernardus Ermengaudi de uno capomanso qui est in villa esdolomada in loco qui vocitatur villanova cum omnibus suis pertinentiis et alodibus qui ad ipsum caputmansum pertinent. Et habitant in ipso capomanso tres fratres, bertrandus, et raimundus, et stephanus. Dimitto illos sicut dictum est cum quantum habent infra terminos de esdolomada, et cum quantum habent in omnibus locis. Dimitto illos et omni posteritate sua, et omnibus sucesoribus eorum et hoc caputmasum sicut superius dictum fuit de rodlan fratre meo, et ipse in vita sua dedit illud totum Scto. vincentio de rota et ad canonicis ibi deo servientibus. Et ego bernardus quando ipse fuit mortuus, accepi potestatem de ipso caput masum et de alias suas causas. Et venerunt mihi clamantes canonici et ego reddidi illis et dimisi sicut superius scriptum est cum omni censu et tributis et districtis atque iusionibus quas facere debent ipsi et posteritas eorum et est manifestum Quod si ego bernardus aut aliquis homo vel femina in mea voce hanc cartam inquietaverit, in duplo componat. Facta carta anoo regni adefonso in aragone, et in pampilona, et in ripacurcia, et in cesaraugusta. S † Ego

81 *Ibidem*. Serie 3.^a, p. 123.

82 *Ibidem*. Serie 3.^a, p. 124.

bernardus ermengaudi, qui hanc cartam rogavi scribere et testes firmare. S † B. archidiacono. S † Guillelmi bonifilii. S † Garsie camarario. Ego Garsia canonic^s Sti. Vincentii et prior per mandamentum B. Ermengaudi hanc cartam scripsi.

*Carta dodonis P. de monteolivo*⁸³ LXXVII

In nomine domini nostri JesuChristi. Ego dodus Petri et uxor mea clementia facimus hanc cartam vobis canonicis Sti. Vincentii de toto ipso honore sive alodio quem accepitavit Petrus onofredi et bernardus honofredi de domno Raimundo dalmacio episcopo, et ipsi dederunt mihi pro mea muliere illud totum sic vindo vobis ab integrum sive cultum sive incultum quantum in ipso termino de monteolivo habeo vel habere debeo in terris, in vineis, ortis, cannamaribus, in casas et casalibus in precio placibile, C mancos quos mihi dedistis aureos, et ego dedi in redemptione filiorum meorum qui obsides pro me in lerida tenebantur captivi. Simili modo in supradicto precio vindo ipsam medietatem decimarum de ipso termino de monte olivo quae ego ibi tenebam. Facta carta vinditionis anno ab incarnatione domini M.C.III. Regnante domno Petro Sancio Rege in pampilona, et in aragone, et in ripacurcia, in mense septembrio VII kal^s. octobris. Sig † dodonis et uxoris suae clementiae, qui hanc cartam rogavimus scribere et testes ad corroborandum firmare. S † Martin oniscol S † Ramon lorenz S † Bonofilio baroni. S † Galin arnal. Fidancas de salvetate, Ramon Mir et martin oniscol, et bonofilio, et Ramon lorenz. Visores et auditores, At mironis et Galin iultan et pere bernard et quam plures alii homines, Berengarius raimundi Sti. Vincentii canonicus per preces domini dodonis et suae coniugi scripsit hanc cartam die et anno quo supra.

*Testamentu^m de Gamiza*⁸⁴ LXXVIII

In nomine domini. Ego Gamiza qui sum in mea memoria facio hoc testamentum, et dono pro anima mea ad Sto. Vincentio, et ad canonicos ibidem deo servientes XL. solidos de vetere et XX ad novo, Et una vinea quae est ad illo vado de illo mercato. De oriente isabana, de occidente ioham de bianz et frater suus ramio. Et dono ad bonuz et ad sua muliere et ad filios suos uno orto qui est ad illa porta, in tali convenientia, ut per unumquemque annum donent ad illos canonicos IIII focazas panis et una canada vino, et unas guntas de molton, et si servitium supradictum nolunt dare, ipsi canonici accipiant

⁸³ *Ibidem*. Apéndice II, p. 165.

⁸⁴ *Ibidem*. Apéndice II, p. 166.

ipsum ortum. Et dono ad At gamiza illo confosso de vallemagna ubi ipse at gamiza habet suas cortes. De oriente et de occidente ripae sunt. Et donet pro illo confosso pro uno quoque anno ad canonicos VI focazas panis, et II ff. vini, et uno moltone vivo, et si istum servitium non vult dare per unumquemque annum accipiant illi canonici de omnia quae ibi habuerit illam IIII partem. Et de isto Testamento sunt testes Arnallus petrus, et Guillelmus ramii, et Berengarius de erdao et Rodger bradila. Et qui infringere voluerit hoc testamentum a corpore et sanguine domini nostri Jesu Christi sit alienus.

*Camio de vinea de solmira*⁸⁵ LXXV^{1/2} III

In nomine Domini. Ego mir galin et uxor mea Maria, et filiis vel filiabus nostris camiamus una vinea ad vos domno bernardo archidiacono, et Raymundo cellarario, et Raimundo priori, et ad alios canonicos Sti. vincentii rotae camiamus vobis nostra vinea in solemira. Habet de oriente ioham bonuz. De occidente martin cornelii. et damus vobis duos solidos grosos, per alia vestra vinea ad riazulo. Si quis inquitaverit isto camio dupplo componat, Facta Carta in mense aprile anno incarnationis domini M.C.XXXVI. Regnante adefonso rege. Signum † Mir galin et uxor sua maria. Fideiussor salvetatis bernad ferruz. Testes bernad roger et martin altimir de garbison. Martinus capellanus Rogatus scripsit.

*De enneco de Romerosa*⁸⁶ LXXX

In nomine Domini. Ego Miro prior cum coeteris fratribus Sti. Vicentii facimus carta donationis ad te enneco et uxor tua, et filiis tuis, sive posteritas tua de nostro alodio. In primis damus vobis una insula qui est ad Stum. Petrum de illa ribera, ut ibi facias mansiones ad habitandum. Habet de oriente roger bradila et de occidente inrigo, et damus vobis alia terra ad comas de mazana, quae fuit de sancio. Habet de oriente Guillem altimir. De occidente stirpe. Similiter damus vobis alia terra in comas de mazana. Habet de oriente et de occidente in torrente. Per caput Pere ramon. Et alia terra ad puio comtor. Habet de oriente bernad galin. De occidente in torrente. et una vinea quae est ad illo vado quod fuit de arnaldum petrum. Habet de oriente isabana. De occidente Guillem ramii de bianz. Hoc totum suprascriptum alodium damus vobis tali convenientia ut vos sitis nostri et de Sto. Vincentio et serviatis nobis sicut boni homines debent servire

⁸⁵ Ibídem. Serie 3.^a, p. 111.

⁸⁶ Ibídem. Serie 3.^a, p. 107.

dominis et ut reddatis nobis decimas et primitias et ut solvatis nobis omnibus annis per censum XV fogazas optimas, et uno ariete vivo, et si non potueritis arietem habere, ut donetis uno porco solidare, et II s. vini, et VI s. ordei. Et si tu vel filii tui, seu posteritas tua non vultis nobis reddere istum supradictum censum, ut relinquatis nobis alodium nostrum cum omni edificio quod ibi fuerit. Si quis vero ista carta donationis inquietaverit in dupplo componat. Facta carta donationis mense iulio anno incarnationis domini M.C.VIII. Regnante ildefonso rege, presidente domno Raimundo Episc^o in rota. Signum † Miro prior. S † Bernardus lauren. S † Petrus arnal. S † Guido. Martinus canonicus Sti. Vincentii rogatus scripsit. Testes Galin arnal et Galin at de Sti. Petri.

*Carta de campio de monte*⁸⁷ LXXXI

In nomine domini. Ego Campio de monte cum voluntate et precibus uxoris meae et filii mei Dodonis et aliorum filiorum meorum ademari et rogerii pro salute animae meae et suarum animarum, omniumque parentum nostrorum, dono et offero cum praedicta uxore mea et cum praedictis filiis filium nostrum amardum nomine, omnipotenti deo, eius que genitrici beatae mariae et Sto. Vincentio martiri ecclesiae rotensis et Raimundo episc^o rotensi, et suis canonicis, eorum que sucesoribus ut sit canonicus regularis, serviens deo in sanctitate omnibus diebus vitae suae in praedicta ecclesia. Et illum offerendo cum eo damus ego praefatus Campio cum suprascripta uxore mea et filiis meis praedictae ecclesiae ad proprium alodium atque hereditatem partem nostri honoris que ad nos pertinent per antiquitatem parentum nostrorum, scilicet medietatem ecclesiae Sti. Vincentii de monte, cum decimis, et primitiis, et oblationibus, et defunctionibus, et omnibus ad medietatem praefatae ecclesiae pertinentibus. Damus scilicet aliam medietatem ad nos pertinentem in ecclesia Sti. iohannis de luscaniel, et in ista villa de luscaniel unum hominem Petrum nomine cum omni sua posteritate, scilicet filiis et filiabus cum suo casale et omnem censum quod facere debet. Et in castro monte alium hominem similiter damus nomine ezat, cum filiis et filiabus suis et suum casalem cum omne censum quod facere debet. Et in villa arttisa qualem partem habemus in illa ecclesia Sti. Martini cum decimis et aliis ecclesiasticis rebus quas nos ibi tenemus, aut aliquis homo per nos. Haec omni superius nominata ego suprascriptus Campio et uxor mea cum praedictis filiis meis damus deo et ecclesiae beati vincentii et praefato raimundo episc^o eius que sucesoribus et teneant et possideant per secula cuncta ad proprium alodium atque hereditatem. Et si quis quod non speramus, aliquis homo vel femina de nostra generatione

⁸⁷ *Ibidem*. Apéndice II, p. 167.

vel de alia, hanc nostrae donationis cartam inrumpere voluerit, vel istam helemosinam contra prescriptam donationem destruere voluerit, suam malam voluntatem perficere non valeat et si mali in hoc fecerit, nisi digne enmendaverit, dei omnipotentis iustitiam incurrat, et in antea donatio ista firma et stabilis permaneat. Facta est carta ista donationis, anno ab incarnatione domini M.C.XVI, mense octobrio.

*De antonia et bertrando filio suo canonico*⁸⁸ LXXXII

In nomine domini. Ego Antonia et ego bertrandus filio suo expunxit me deus et dedit mihi vona voluntate ut darem corpus meum deo et Sto. Vincentio de rota ad canonicatum, et ita feci cum consilio et adiutorio matris meae et dedimus ego et mater mea de alodio nostro qui nobis advemit per parentorum nostrorum ad Sto. Vincentio et ad canonicis ibi deo servantibus. Et est ipso alodio infra terminos de mantmesua, in loco qui vocatur ad ipsa strata. Ipsa una terra ad Sto. Christoforo. De oriente Galin sclua. De occidente pere guielm. Per caput via. Per fundus similiter. Ipsa alia terra similiter subtus ipsa strata. De oriente torrente. De occidente isarn galin. Per caput ipsa strata. Insuper donamus unum hominem in ipsa villa de oliva, nomine Ramon altemir et uxor sua nomine Maria. Donamus ipsum hominem ab integrum cum omnibus suis pertinentiis cum servitio quod nobis facere debet, ipse et posteritas sua cum decimis pane et vino, et de omnia quae possidet cum districtis et iussionibus quantum nos et antecessores nostri in illum habuerunt vel habere debuerunt, totum tradimus de nostro iure in potestate et dominio Sti. Vincentii et canonicorum eius ab integrum et est manifestum. Quod si nos donatores supra scripti, aut de propinquitate nostra aut aliquis homo vel femina contra hanc cartam venerit ad dirumpendum non hoc valeat vindicare sed in dupplo componat. Facta carta ista in mense ianuario, anno incarnationis domini M.C.XXII. Regnante adefonso rege in aragone, et in ripacurcia, et in cesaraugusta usque in Castella. S. † Antonia et filio suo bertran qui hanc cartam rogaverunt scribere et testes firmare, Signum Ramon altemir Signum baron albin. Petrus martini merino fide ad salvandam istam donationem. Garsias levita et canonicus Sti. Vincentii qui fuit oriundus de civitate barbastri, rogatus scripsit et hoc fecit S. † Bernardus bernardi presbiter de montmesua tertius testis.

⁸⁸ *Ibidem*. Apéndice II, p. 168.

*Carta enneconi canonici*⁸⁹ LXXXIII

In nomine domini Jesuchristi. Ego Enneco de arinio dono me ipsum deo et beato Vincentio propter canonicatum ut ibi vivam regulariter et comuniter cum fratribus ibidem deo et beato Vincentio servientibus. Et mitto ibi in domum Sti. Vincentii de rota unam vineam ad lasurs. De oriente galin servidei de occidente et mengod pere, de meridie ramon martin, ad aquilone via, et una terra quae est in loco qui dicitur ad montecello, de oriente egomet eneco, de occidente germana mea Garsendis. De aquilone mir vital, de meridie pere sanavia. Et hoc totum semper beatus Vincentius, et clerici eius habeant et possideant et hoc tali convenientia ut si alius debet tenere per illos, parentes mei teneant et faciant servicium q^d ullus alius debet facere. Et in antea stabilis permaneat haec mea donatio. Signum ego Enneco, qui hanc cartam rogavi scribere et testibus firmare.

*De uno homine in villa veranui*⁹⁰ LXXXIII

In nomine domini. Ego Ermengaudus filius regalis et uxor mea Stephania filia Ginculina, nullius quoque gentis imperio, nec suadentis ingenio, sed propria nostra elegit voluntas, ut facimus carta de uno homine deo et Sto. Vincentio rotensis in villa veranui qui vocatur per nomine bradila et uxor sua Englia, ut fiant ipsi et filii eius, vel generatio eorum de deo et Sto. Vincentio usque in perpetuum cum ea quae hodie teneant et amplius adquisierunt, ut in diebus vitae meae teneamus nos. Et post obitum nostrum remaneat deo et Sto. Vincentio et est manifestum. Quod si nos supra nominati aut aliquis homo vel femina qui contra hanc cartam donationis venerit ad inrumpendum, non hoc valeat vendicare quod requirit sed componat in duplo cum omni sua melioratione. Et in antea ista carta firma et stabilis permaneat omni tempore, et non sit disrupta. Facta ista carta donationis V kal^s februarii. Anno XVIII. Regnante Sancio Rege filio ranimiri regis. S. † Ermengaudus et uxor sua Stephania, qui hanc cartam donationis rogaverunt scribere et testes firmare. S. † Bernard lauren. S. † arnal gonbal. S. † Guillem arnal. Martinus subdiac.^s scripsit.

⁸⁹ *Ibíd.* Apéndice I, p. 136.

⁹⁰ *Ibíd.* Sec. 3.^a, p. 88.

*De vinea de Sto quirico ad abundantia*⁹¹ LXXXV

In nomine domini. Ego Raimundus gratia dei barbastrensis episc^s consilio et voluntate fratrum nostrorum canonicorum rotensis ecclesiae. tibi Guillelmo baroni de Sto. cirico confirmo et laudo ipsam vineam quam comparasti de illo homine Sti. Vincentii nomine Dominico bradila in termino de Scta listra, ut habeas et tua posteritas ad fidelitatem dei et Sti. Vincentii et nostra et canonicorum nostrorum et omnium successorum nostrorum tali modo ut omni anno reddas de ipsa vinea tu et qui eam tenuerit nonum et decimum Sto. Vincentio et suis, et medium arietem et VI fogazas optimas, et I ff. vini et II ff. inter ordeum et avenam. et si tu aut aliquis de tua posteritate praedictam vineam voluerit impignorare, aut vendere, non facias, nisi nobis aut nostris hominibus. Et si ad aliquem hominem extraneum tu vel tua posteritas vendere aut impignorare voluerit, fac cum nostro consilio et successorum nostrorum tali homini que predictam fidelitatem et servitium reddat nobis et successoribus nostris. Et si aliquam culpam tu vel tua posteritas nobis aut sucesoribus nostris de predictis convenientiis feceritis, facias nobis vel sucesoribus nostris directum, sine defensione alicuius senioris et tu et tuis servias Sto. Vincentio et nobis, et nos defendemus te et nostri post nos. Facta est carta ista anno incarnationis domini M.C.XXI. K^s septembris.

*De alodio de Calvera*⁹² LXXXVI

In nomine domini. Haec est carta donationis que facimus nos canonici St. Vincentii de rota nominati, Bernardus prior et archidiaconus et fortis prior, et Raimundus cellararius et Guillelmus sacrista et Garsias camararius et Guillelmus elemosinarius, et omnes alii ibi deo et Sto. Vincentio servientibus donatores sumus tibi Martino eneconi et uxori tuae nomine Garsendis alodio quem nobis dominus dedit infra terminos de calvera et advenit nobis per donationem de domno Bernard gifred et uxor sua el filiis et filiabus suis. Donamus vobis ipsum alodium, ut vos et posteritas vestra teneatis et possideatis per secula cuncta et serviat eum vos et posteri vestri nobis et sucesoribus nostris, et donec nobis pro unoquoque anno de ipsa terra quae est subtus ecclesia Sti. Andreae medietatem de fructu qui inde exierit et de alia terra quae est ad ipsas planas similiter. Et de alio et de isto similiter pro unoquoque anno IIII focazas optimas et unas iuntas de molton, aut una perna de porco, et I em. de vino, et I f. orde, et est manifestum. Quod si nos supras-

⁹¹ *Ibidem*. Sec. 3.^a, p. 48.

⁹² *Ibidem*. Sec. 3.^a, p. 122.

cripti, aut aliquis homo vel femina qui hanc cartam donationis inquietaverit, in dupplo componat, et non disrumpatur. Facta carta in mense aprile. Regnante adefonso rege. Signum nos supranominati, qui hanc cartam donationis rogavimus scribere et testes firmare. S † Pere bernard Sti. Stephani S. † Pere mir, scriba Sti. Stephani. Petrus scripsit et hoc signum † fecit.

In nomine domini Jesuchristi. Ego Ossetus Castellii aleri dominus, fratres que mei una donamus et concedimus ecclesiae Sti. Vincentii de rota totum alodium nostrum de Calvera in remissione patris nostri et matris simul et nostrorum peccatorum.

*De almunia de Campo de fuero*⁹³ LXXXVII

In nomine domini. Ego beatrix deo gratia comittisa pro anima patris mei et matris meae et seniores mei domni Sancii comitis, et pro remissione peccatorum, et pro adipiscenda vita aeterna. Facio cartam donationis omnipotenti deo, eius que genitrici beatae mariae, et Sto. Vincentio, et episc^o Raimundo barbastrensi eius que successoribus atque clericis suis regularibus, eorum que successoribus de illa almunia quae est sita in territorio de Castro quae advenit mihi in dote mariti mei ad faciendam propriam voluntatem meam, et dono eam sicut superius scriptum est deo et beatae mariae, et beato Vincentio et episc^o. atque canonicis eius in perpetuum ad proprium alodium ad faciendam voluntatem suam ut habeant et possideant eam usque in sempiternum. Et est illa praefata almunia in Campo de furo in territorio de Castro. De oriente via publica, et alodium Stae. Mariae aloanis et Sti. bartolomei de calasanz. De occid^{te}. tenet Stephanus de alfarech, et or de cidi et iohannes cardel, et atto desplus. De aquilone pascal de coscolla, et stephanus maurinus, et mir arnal de covisede, et hahavivus de coscollola et carduillas de saltau. Quantum iste afrontationes includunt, totum dono deo et beato vincentio, almuniam cum terris et vineis, et arboribus, cum illam partem quam habeo in ipsa padule, dono deo et praedictae ecclesiae Sti. Vincentii. Insuper dono ad praefatum locum Sti. Vincentii illud sal de illa salina qualem partem ego impetravi ibi a rege Sancio. Ego Beatrix hanc cartam donationis et elemosinae meae confirmo et hoc † signo corrobore. Si quis vero homo vel femina de mea cognatione aut de aliena contra hanc cartam meae helemosinae venerit ad inrumpendum, non hoc valeat acquirere sed ista carta firma et stabilis semper maneat. Ego Grarsias Sanz hanc cartam donationis matris meae laudo, et propria manu confirmo †. Signum berengarii gombal. Signum Petri gauzberti. Signum Bernardi raimundi de Castro. Signum Raimundi mironis de gava. Signum Petri mironis de entenza. Facta

⁹³ Ibidem. Sec. 2.^a B, p. 71.

carta anno incarnationis domini M.C.X. indictione III. VIII kal^s. decenbris. Regnante adefonso rege filio sancii regis in pampilona et aragone, et in ripacurtia domno Papa Paschali presidente in Romana sede. Domno Petro episc^o. in pampilona, et Stephano episc in osca.

*De Scti Petri de Lastanosa*⁹⁴ LXXXVIII

In nomine domini nostri Jesuchristi. Ego unifredus comes facio iudicium ad Stum Petrum de Lastanosa de ipso scaldido de toto ipso opaco, et est terminum postremo de ipso meo campo, et exiit ad ipso poio alto descendit ad ipsa lavandera et vadit ad ipsa strata ad ipso poio subtus ipsa spelunca de lodegero, et descendit per ipsa sponda de illa vallicella et vadit per ipsa salvia per caput de illa cincta, et vadit usque ad illa torricella de atroero. Sic mitto ipsum terminum in domum Sti. Petri apostoli et omnia agmina sanctorum qui ibidem sunt fundati, pro anima de parente meo raimundo comite, et pro anima de matre mea Gersinde comittissa, et pro anima mea, ut ante tribunal domini nostri Jesuchristi, meritum nobis inde crescat et ipsas decimas ab integrum et totum ipsum scaldidum. Et qui extrahere voluerit, extraneus sit a liminibus ecclesiae, et cum iuda scarioth partem accipiat, amen. Et sunt testes galito senior de rota, et oriulfus de fornones, et fedaco de foratata, et odegarius iudex, et oriolaster de benasco, et ego Galindo presbiter sic scripsi istum iuditium.

*De una vinea ad illos collellos*⁹⁵ LXXXVIII

In nomine domini. Ego Petro de villa paternui tibi emtori meo Petro arnaldi, placuit in animis meis ut vindo tibi una sorte de vinea ad opus Sti. Petri Lastanosa in locum quem dicunt ad illos collellos. De oriente et de occidente, et de meridie, et de aquilone, vinea Sti. Petri, et precio quod ille mihi dedit VIII solidos, et ego de presente recepi, et apud emporem nihil de precio remansit, et propter precium donatum in dei nomine firmam habeat potestatem Stus. Petrus et suis clericis. Quod si ego Petrus vel aliquis meus propinquus, aut aliquis homo vel femina, aut ulla magna vel parba persona, qui contra hanc cartam venerit ad inrumpendum, non hoc valeat vindicare quod requirit, sed in duplo componat ista vinea cum omni sua melioratione, et in antea ista carta firma sit omnique tempore et non sit disrupta. Facta ista carta in mense madio. Regnante Petro

⁹⁴ *Ibíd.* Apéndice I, pp. 137-138.

⁹⁵ *Ibíd.* Sec. 3.^a, p. 101.

Sanz in barbastro et Pontius episc^s. in rotensi sede sibe barbasto. Sig † nun Petrus pater-nini, qui hanc cartam rogavit scribere et testes firmare rogavit. Sig † num Galin at Sti. Petri. Sig † Galin Arnal de rota, et fidem ad salvandum de omnes homines de ista vinea hic scripta. Guillelmus bernardus rogatus a Guillelmo ramio canonico Sti. Vincentii scripsit et firmavit † † † sub die et anno quo supra.

*De castro Canalillos*⁹⁶ XC

Sub Christi nomine et eius gratia. Placuit mihi Mir gombald et filio suo Petro miro, et nurui meae nomine Sanciae ut venderemus tibi Lupo gratia Dei episc^o rotensi kastrum quod dicitur kanalegs quod Gonbal ramón dedit filio meo Petro miro cum filia sua Sancia, et nos damus et vendimus tibi illud totum ingenuum cum terminis suis, et cum omnibus sibi pertinentiis, turribus, kasis, kasalibus, montibus, silvis, pascuis, erbis, terris, et vineis, aquis, ingresu et regressu, ermo et populato, et hoc feci propter necessitatem quam habebam ego mir gonbald, quod volebam ire in ierusalem, quod et feci. Et tu episc^s. Lupo dedisti mihi in supradicto kastro pretium, quod convenit inter me et te, scilicet mille quingentos mancusios de auro de valentia, ea convenientia ut supradictum kastrum firmum et tutum et tranquilum permaneat deo, et beato Vincentio et tibi Episc^o vel et succesoribus tuis sine ullo inquietante homine vel femina usque in sempiternum. Si quis autem succesorum meorum tam filii mei quam nurus meae hanc nostram venditionem irrumpere vel adnichilare temptaverit, eterni regni consorcio pro cuius amore ego hanc venditionem feci expers habeatur, et gehenae ignibus conburendus tradatur. Huius autem venditionis fideiussores de salvetate de totos homines sunt Petro roger et gerveta et don remon guillem de capella ut velint nolint salvum faciant supradictum castrum ipsi et filii eorum et nepotes eorum, tibi episc^o L. et sucessoribus tuis usque in sempiternum. Facta carta era M.C.XXXIII. Anno ab incarnatione domini M.LXXXVI. Regnante petro rege in aragon, et in ripacurcia et in pampilona. Huius autem venditionis sunt auditores ramon guillem de capella et bernard remon de Castro, et remon gonbald de portaspansa et belenger gonbald de lirp. Ego mir gonbald omnia superscripta laudo et confirmo, et hoc Sig † num manu mea fecio. Ego Petro mir similiter laudo et confirmo, et hoc signum S. manu mea facio. Ego Santia similiter laudo et confirmo, et hoc sig † num manu mea facio.

⁹⁶ *Ibidem*. Subserie B, pp. 65-66.

*De monasterio de torre albar faniz*⁹⁷ XCI

In nomine patris, et filii, et spiritus Sti. Haec carta donationis quam facio ego donna eximina gonsalviz, domino deo et eius genitrici semper que virginis Mariae et glorioso martiri vincentio, et domno Raimundo barbastrensi et rotensi episc^o. eius que succesoribus et canonicis ibidem servientibus deo tam presentibus quam futuris cum consilio et voluntate domini mei ildefonsi Regis pro salute et incolumitate eius, et pro redemptione animae meae, et domini mei dadago gonsalviz, de illo monasterio Ste. Mariae quod est in villa de torre albarfaniz cum omnibus quae ibi pertinent vel pertinere debent, et ipso solare cum casis, terris, vineis, ortis linaribus, pratis, pascuis, et cum omnibus sicut melius tenet Raimundus capellanus meus pro me, quod solare cum omnibus istis ego accepi ab abbate Sti. Martini felinis et monachis suis ut faciam propiam voluntatem meam et dedi in concamio pro illo solare cum omnibus suis ad supradictum locum Sti. Martini monasterium Stae Mariae de illa quadra cum suis pertinentiis, et monasterium Sti. aciscli de rubiols. dono etiam similiter et adjungo praedictae donationi illam divisam quae fuit de mea nepta nomine iluiza diaz, et illam medietatem de illa defesa de castrillo, quam comparavi de assuz munioz, et de sua muliere, et dono illam vineam quam comparavi de Albar cidaz similiter de oriente filios de donna Maria de illa porta, de occidente filios de annaia. Hanc caritatis nostrae donationem facio ego domna eximina in tali conventionem ut semper maneat firma et stabilis. Et si aliquis ex nostra generatione, homo aut femina, aut alia ulla persona ecclesiastica aut secularis istam cartam voluerit infringere, et helemosinam nostram disrumpere, in primis nisi enmendaverit et satisfecerit, iram dei omnipotentis, omnium que sanctorum suorum incurrat, et quod facere male temptaverit, perficere non valeat, et donatio ista firma et stabilis maneat pro pio iure beatae Mariae virginis et Sti. Vincentii martiris, sicut superius scriptum est. Serbantibus vero ista et diligentibus ea sit pax domini in presenti seculo, et in futuro requies sempiterna, amen. Facta est carta ista elemosinaria anno incarnationis domini nostri Jesuchristi M.C.XXI. Feria IIII, VIII idus madii. Regnante ildefonso serenissimo rege in toleto, legione, et castella, domno episco. Garcia presidente in ecclesia burgensi. Ego domna Eximina istam cartam mandavi scribere, et confirmo et corrobore eam coram testibus multis. Sig † num martin garciaz de turris, hic FF. Petro munnioz. Hic FF. dominico salvatoriz. hic FF. Julian doger. hic FF. Migael doger. hic FF. Cid de bellid. hic FF.

⁹⁷ *Ibíd.* Sec. 2.^a B, p. 72.

*Item de eodem*⁹⁸ XCII

Sub Christi nomine, magnus est titulus donationis, in quo nemo potest hactum largitatis inrumperere. obinde ego didago gundisalvez et uxor mea domna scemena prona mente et spontanea nostra voluntate, pro que nobis offeres servitium magnum sicut nobis placet tu didago iohannes, facimus tibi cartula de nostro solare qui est in villa que vocatur tant torre de albar faniz, et in illo monasterio Sti. Emiliani qui est fundatus inter raben et torre, illam tertiam rationem quantum accidit nobis inter nostros heredes, hereditates, terras, vineas, pratris, pascuis, paludibus, in montibus, in fontibus, et illo solare qui est ad latus de nostro solare, palatio cum sous terrenales, et ortales quos accepimus de nostro pretio de homines de illa villa. Sic donamus nos didago gundisalvez, et uxor mea domna scemena, ad tibi didaco iohannis isto solare et istas hereditates, quos superius nominavimus totum ad integrum, ut possideas tu in diebus vitae tue, et servias nobis cum illo, et post obitum nostrum qui tibi benefecerit de solis ortum usque ad occasum liber vadas in diebus vitae tue, et post obitum tuum serviat ad Sti. martini de felines pro quantum quae ego didaco gundisalvez et domna scemena posueritis in ipso loco, serviat pro nobis et pro animas nostras ad ipsius domum domini Sti. Martini Episcopi usque in perpetuum obituum. Ut de hodie vel tempore ego didaco gundisalvez et domna scimina, aut filiiis nostris, aut nephtis, aut sanguineis nostris vel extraneis, cartulam istam dirumpere voluerit, et te inquietare conaverit, non habeat partem in regno eterno, sed habeat partem cum datan et abiron viros sceleratissimos qui terra vivos absorbit, et cum iuda traditore qui tradidit deum salvatorem. Facta carta sub die quod erit II feria III idus martius era M.C.X.II regnante serenissimo principe adefonso in legione et in castella. Ego didaco gundisalvez et domna scemina qui hanc scedula fieri iussimus et legente audivimus de manus nostris † roboravimus coram FH, qui hic roboraverunt comite domno munio confirmans, munio didaz confirmans. Episc. domno munio confirmans, gomiz gundisalvez conf. roderico nunnez conf. Alfonso asurez conf. Gundisalbo didaz conf. Petro didaz conf. garcia gomiz conf. abbad domno Erze cum omni collegio monacorum conf, Scemeno gomiz parvulo conf. cite bellite hic FH, sumus de manus nostras † roboramus.

ALBARO PRAESBITER EXARAVI.